


Johannes Wennavingius,
In Honorem Nuptiarum
Olaj Theophili
&
Salomes, Melchioris filiæ.












BIBLIOTH REGIA
HAFNIENSIS

EPITHALAMIVM IN HONOREM NVPTIARVM CLARISSIMI VIRI ERVDItione & veris virtutibus ornatiſsimi D. Magiſtri Olaj Theophili ludirectoris in Regia vrbe Hafnienſi, & Salomes, Honeſtiſsimi viri Melchioris aurifabri piæ memoriæ, filiæ,

ſcriptum

à

Iohanne Hemmingio.



HAFNIÆ,
Excudebat Laurentius
Benedictus.
1 5 70.

FEr mihi Christe pedem, & cœpto aspirato labori,
Qui, nutu vastum, solo moderatis, olympum.
Quiquè meis semper votis, precibusquè benignus
Annueras, præsens iterum nunc numine adesto.
Nec mea dicta neges, placidas demittere in aures,
O precor, ô nostro Christe aspirato labori.
Principio dignas ferimus tibi pectore grates,
Christe salus hominum, qùi primus fœdera casti
Sanxisti thalami, quo sancti in fœdere amoris,
Fœmina, virquè tuum laudent in secula nomen.
Nam cùm primò hominem mira virtute creasses:
Solus erat, tandem dederas consorte potiri,
Quam maris exemtam lateri, & præcordibus imis,
Adiungi lateri & rursum ad cor molle redire
Nempè animi affectu voluisti & mentibus vnis.
Ergo quibus cordi est hæc casta et sancta Dei lex,
Hanc vnam spectent, huic totis viribus instent.
Non veluti mitrati asini, de cardine quorum
Est nomen, magnasquè cruces in pectore gestant.
Lignipedesquè patres, Francisci de ordine dicti,
Et quorum in putri est sapientia sita cucullo,
Qui canones simulant, & asoti cætera viuunt,
Et stolidum fallunt pietatis imagine vulgus,
Talia fundentes scelerato è pectore verba:
Si non castè aliquis poterit modò viuere cautè,

Suffi-



Sufficiat, Sancta hæc nostræ sit regula vitæ.
O fatui quibus hæc potior sententia visa est.
Nam velut è statua facies cùm pulchra remota est,
Omne decus perijt, mentis sic dona verendæ,
Laude pudicitiæ ni sint ornata, recedunt.
Et velut in viridi flos discolor oritur horto,
Ignotus pecori, nullo conuulsus aratro.
Quem radij firmant solis, quemquè irrigat imber,
Et faciles mulcent auræ, flatusquè salubres,
Multi illum pueri, multæ optauêre puellæ:
At postquam tenui captus defloruit vngue,
Nulli illum pueri, nullæ optauere puellæ.
Sic mulier, cùm casta manet, tum cara marito,
Cognatisquè suis, verùm cum corpore florem
Polluto amisit castum, moresquè pudicos,
Nec pueris iucunda manet, nec cara marito.
Sunt, quì, vel cœlo veniat si Christus ab alto,
Qui pœnam ante oculos statuat, non viuere honestè,
Coniugij aut seruare fidem, & semel inita pacta
Dignentur, sed & hos tacitis, ni fallor, ouantes
Pœna venit pedibus, incautosquè obruet astu.
Nam quamuis multos lateat iustißima in annos
Ira Dei, tamen ingenti mox turbine raptos,
Cùm venit inferni in latebras, Stygiamquè paludem
Præcipitat fatuos, sic sic iuuat esse prophanos,

Et contra mandata Dej vixiße, sed vnum
In medium placet exemplum producere, paucis
Aduerte atque alta, quæ dicam, mente repone.
Vrbs antiqua fuit Graij quã nomine Leuctram
Dixerunt, diues studijsquè asperrima belli.
Non procul hac Scedasus vixit, binasquè decora
Insignes forma, excellentesqúe omnibus arte
Fœminea, genuit natas: huc forte solebant
Spartani aduentare viri, hospitiumquè rogare.
Cumquè domo Scedasus non fausto tempore abeßet
Tres numero claris à stirpe parentibus orti
Adueniunt iuuenes, recipi sub tecta petentes,
Hospitium datur, ingreßi mox fœdera rumpunt
Hospitij, & miseras Sathana impellente puellas
Incautas subitò, & prorsus nil tale putantes,
Arripiunt, violant (scelus ach immane) trucidant,
Stupratas, puteoquè aderat qui fortè profundo
Abscondunt, terrã accumulant. Spartãquè reuisunt,
Intereà infœlix Scedasus redit, atque tremente
Voce vocat natas, nulla harum apparet, at ille
Sollicitè inquirit, tandem cùm tempore longo
Quæsißet, puteum accedit, terráque repletum
Comperit, hìc mæstus natas inuenit amicas.
Continuò huic gelidus fugit ad præcordia sanguis.
Nec fari poterat, nam lingua dolore retenta est.

Tan-

Tandem quæ fuerit tantorum causa malorum
Repperit, & iusta lacrymans incanduit ira.
Moxquè in Spartanā vt venerat se contulit vrbem,
Vimquè suis factam natis, mortemquè cruentam
Conqueritur, Iudex hæc surda præterit aure,
(Et Scedasus pro iure domum ludibria portat.)
Discedens talem rupit de pectore vocem:
O Deus omnipotens, qui sceptra ligonibus æquas,
Talia me paßum cerne, & miserere dolorum
Tantorum, miserere mei non digna ferentis.
O si quæ est cœlo pietas, quæ talia curet
Vltor ades, homines nam te dare iura loquuntur,
Dixit: & in sese capulo tenus abdidit ensem
Impatiens, vitamquè atro cum sanguine fudit.
Non multos post inde annos, Spartana, iuuētus
Induit arma, (hominum genus intractabile bello)
Aoniamquè vrbem muris & turribus altam
Funditùs eruere, & flammis miscere parabant.
Denique Thebanis fama hæc peruenit ad aures,
Nec mora, fit strepitus, discurritur vndique portis,
Ingentesquè animos spirans Draconigena proles
Ingreditur, strictisquè ferox mucronibus horret.
Tela sonant humeris, lato venabula ferro
Aptantur, iam iamque aderat Spartana iuuentus,
Thebanosquè petit directo tramite. at illi

Accelerant, contràque pedum vestigia figunt.
Inqùe locum claræ stabant vbi mœnia Leuctræ
Deueniunt, manus hìc manibus miscentur, & ingens
Fit pugna, hìc diris clamoribus aëra complent.
Spartani dant terga viri, Thebana iuuentus
Accendit Martem cantu, insequiturqùe fugaces,
Et robur sternit Spartanum, hìc præmia soluunt
Illusi tandem Scedasi, mortisqùe cruentæ
Gnatarum illius, per vim fractiqùe pudoris.
Heu misera est hominum sic vita, plenaqùe dolorũ,
Et varijs mens ipsa malis turbatur egena.
Luce etenim nunc orta, & iam cùm vespera tandem
Venit, quid vita est hominis, quam vixerat? vmbra.
Imò aliud nihil est, gelidæ nisi mortis imago,
Gaudia sed venient post illam æterna beatis.
Hinc quicũque volent discant, animoqùe recondãt
Non placeat quod spurca Deo, turpisqùe libido.
Ergo tibi hoc magnæ laudi datur optime OLAE,
Cõiugij hãc SALOMEN sociã quòd quæris honesti
Non ipsi turpes fingit lasciuia gestus,
Nec forma est breuiter fallens tantum ora tuentum.
Non oculos habet illa vagos, gressúue superbo
Incedit, neque cùm graditur, ceu militis hasta
Torta manu, collum, corpus nec librat eundo,
Mos velut est multis turpi conceptus ab vsu.

Rarum forma bonum, melior ſed moribus aucta eſt
Tempore forma perit, virtus eſt langior annis.
Ergo tibi mage coniugium venerande Magiſter,
(Quando vtrūque bonū hoc cōtingit virgine in vna)
Gratulor, & multos opto tibi duret in annos.
Viuite fœlices, numeroſam educite prolem,
Atque amor æternos veſter conſiſtat in annos,
Nec metuet Sathanam infeſtum, triſtemùe ſenectam
Haud fluxum eſt æuo Chriſti quod numine cæpit.

